



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **DASSANA-ZUMENSIS*** IN BENINO NOVA
CONDITUR DIOECESIS DASSANA-ZUMENSIS Ad aptius fovendum spirituale bonum et efficacius consulendum simul
pastorali regimini Christifidelium in Benino commorantium, antea est petitum ut ibidem nova Ecclesia constitueretur.
Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione
praepositi, omnibus mature perpensis auditoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Andreae Dupuy, Archiepiscopi
titulo Saelesiensis et in eadem Natione Apostolici Nuntii, enixae postulationi concedendum esse putaverunt. Nos igitur,
pro summo, quo fungimur, munere de omnibus Ecclesiis particularibus solliciti, talem sententiam ratam habemus atque
summa Nostra potestate sequentia decernimus. A dioecesi Abomeiensi distrahimus territorium districtuum civilium patrio
sermone nuncupatorum Dassa-Zoumé, Bante, Savalou, Savé, Glazoue et Ouesse; ex eoque novam condimus
dioecesim *Dassanam-Zumensem* appellandam, quam metropolitanae Ecclesiae Cotonuensi suffraganeam facimus atque
iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe «
Dassa-Zoumé» atque templum ibidem exstans, Deo in honorem «Notre Dame de Fourvière» dicatum, ad dignitatem
cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus ad effectum
adducet memoratus Venerabilis Frater Andreas Dupuy, qui, re acta, curabit documenta conficienda sincerisque exemplis
ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem
nunc et in posterum efficacem esse foreque volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae,
apud S. Petrum, die decimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri
septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 12, pp. 1078-1079 © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana